



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Patris D. Hludowici Blosii Abbatis Lætiensis Ordinis S. P. N. Benedicti Tomus Posterior Margaritum Spirituale

Blois, Louis de

Monasterii Campidonensis, 1672

Cap. XVII. Iesus ex doloribus afflicta matris augmentum dolorum  
suoru[m] accipit, & illam stantem iuxta crucem alloquitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45885)

DOMI-  
NICAE  
PASSIO-  
NIS EX-  
PLICATA  
10.

hibere voluit ut desideraret: itaque nec erit illi. Blasphemias atque maledicta potius elegit: & venient ei, & quidem in omne ævum. Illum autem novum fructum, quem piissimus Jesus ex infecundo solo nostro, multo cū sudore, multaq; pretiosi Sanguinis sui irrogatione in ligno Crucis obtinuit, cælesti Patri suo, ceu pretiosum munus, ingenti cum gaudio obtulit. Interim tamen & doluit plurimum, quod latro iste multis foret damnationis ansa, qui omnem vitam suam in vitiis transigere statuunt, sperantes nihilominus se cum hoc latrone in ipso mortis articulo veniam consecuturos & gratiam. Quod quidem longè stolidissimū nimisq; periculolum est: quamvis & hoc verum sit, neminem umquam à Deo derelinqui posse, qui se ad eum toto corde convertit, eiq; pia cum fiducia innititur.

Penitencia boni latronis multis occasio huius.

7. Verbum consolationis, quo Christus in cruce Matrem honorat,  
8. Ipsam simul affligebat, & solabatur. Pulchrè inde deducitur, Mariam esse Matrem gratia & misericordia.  
9. Omnes fideles in Ioanne facti sunt filii adoptivi Virginis.

**S**TABAT verò *juxta Crucem Iesu Sanctissima Mater ejus* semperque Virgo Maria, non ad aliquod pœnarum sublevamen aut temperamentum, sed ad non mediocre augmentationem. Nam si qua potuisset creatura aliquid adferre solatii Domino in Cruce pendenti, nulla ad id tam fuisset idonea, ut beatissima mater ejus. Sed quia definitum erat Christo morte acerbissima occumbere, & absque ulla consolatione & relevamine, vera cum resignatione ipsam suam passionem claudere; nihil ei materna præsentia solatii præstitit, sed potius auxit dolores ejus, quando & mœlertiam illius suis pariter pœnis junxit, & uberiorem inde hausit materiam acerbissimi cruciatus.

Ioan. 11  
Mater  
dolor  
auxit  
Christi  
mater  
sua dolo  
& em-  
passi.

CAPUT XVII.

*Iesus ex doloribus afflictae Matris augmentum dolorum suorum accipit, & illam stantem juxta Crucem alloquitur.*

- 1. Compassio matris auxit in Christo materiam doloris.
- 2. Eadem nempe crux & Matrem & Filium configebat.
- 3. Dolor, quem evasit Virgo in puerperio, reservatus illi in Filii passione & cruce.
- 4. Fortitudo & constantia Virginis orta ex firmissima fide, compassio autem ex ferventissimo amore.
- 5. Christus pellicanus suo nos sanguine revivificans.
- 6. Dolor Virginis ex eo quod Christo nullum adferre potuit solatium.

Quis jam, ô bone Iesu, meditando consequi possit, quo fueris intus dolore affectus, cum tu, qui corda omnium nosti, cuncta matris viscera & membra per internam compassionem tecum pariter in cruce extenta & clavis confixa videres, corque ejus longè piissimum, & verè maternum pectus doloris acutissimi gladio transverberatum, vultum in pallorem versum, & animi angustias declarantem, atque, sine morte, penè emortuum? Cùm aspiceres  
fer-

27  
Eadem  
crux mo-  
trus, qui  
filiis  
dolor  
filii, qui  
& mœ-  
trus, filii  
manibus  
& pedibus  
bus, mater  
corde  
& anima  
cruci affi-  
fixa.

**DOMI-** ferventes lacrymas, ceu dulcissi-  
**NICAE** mos rivulos quosdam per gratif-  
**PASSIO-** simas genas ejus & faciem uber-  
**NIS EX-** tim cursumque manantes, quæ  
**FLICA-** utique testes erant illius erga te  
**TIO.** doloris pariter & amoris? cum  
 audires etiam gemitus miserabi-  
 les, pondere afflictionum illius  
 expressos, cerneresque eandem  
 devotissimam Genitricem tuam  
 profusus amoris æstu liquefactam,  
 & omnino resolutam in lacry-  
 mas, ac penitus deficientem, ex-  
 haustam & absumptam: utpote  
 passionis tuæ cruciatu eam deva-  
 stante? Reverà tunc, ô bone Jesu,  
 ex afflictione materni pectoris,  
 novam crucem in te recepisti. So-  
 lus namque pondus & gravita-  
 tem dolorum ejus, hominibus u-  
 niversis incôprehensibilem, compa-  
 sionis lance trutinasti. Et id  
 quidè maximè exaggeravit cru-  
 ciatum passionis tuæ, quòd non  
 modò in corpore tuo, sed etiam  
 in materno pectore crucifixus e-  
 ras: quando & illius crux, tua e-  
 rat; & tua, vicissim illius.

quem tunc feliciter evasisti, mul-  
 tipliciter erectus est, cum beatum  
 & singularem Filium tuum cer-  
 neres in tam horrendis pœnis in  
 cruce pendentem coram sæva illa  
 plebe, quæ quidquid convitio-  
 rum, afflictionum, & contemptus  
 mente effingere poterat, in illum  
 conferebat? Cum videres eum,  
 quem in castissimis visceribus pu-  
 dicissimi uteri tui absque ullo  
 gravamine gestâras, tam inhumana-  
 niter in cruce distentum, clavis-  
 que perterebratum? Cum item  
 aspiceres sacra illius brachia, qui-  
 bus tetoties amicabiliter strinxer-  
 rat, tam immobiliter extensa, ro-  
 seoque tincta cruore: caput quo-  
 que venerandum acutis compun-  
 ctum spinis, & totum corpus non  
 nisi vulnus fluens; nec tamen in-  
 terim vulnera illius tergere & in-  
 ungere dabatur? Conspiciebas  
 eum, quem sæpenumerò quietis  
 captandæ gratiâ in virgineo sinu  
 tuo collocâras, jam non habere  
 ubi sacrum caput inclinaret. Luc. 9.  
 O quàm passionis prelo maternum  
 cortuum tunc compressum fuit!  
 quantopere afflictionum unda ani-  
 mam tuam percurrit, imò &  
 demersit penitus! Enimverò, si  
 devotus quispiam, absque ineffa-  
 bili dolore & compalsione, Fili-  
 i tui passionem animo revolvere  
 non potest; quæ crux, quæ affli-  
 ctio te invasit, quæ ipsa ejus mater  
 eras, & eandem passionem oculis  
 coram intuebaris? Reverà sine-  
 rissimum cor tuum, hac die non  
 semel, sed plus centies scissum est.

S 3

Neque

3.  
*Evansit*  
*Virgo do-*  
*ctorem in*  
*puerpe-*  
*rio; sed*  
*multipli-*  
*catus est*  
*ei dolor*  
*in cruce*  
*martyrio*  
 Et quis, ô piissima Mater, ô Re-  
 gina Martyrum, quis immensos  
 animi tui angores, internamque  
 afflictionem tuam aut effari, aut  
 mente concipere queat? Quem  
 enim sine dolore genuisti, spiri-  
 tus jubilo perfusa (cum & ad tui  
 recreationem auribus haurires  
 suavissimam Angelorum melo-  
 diam Deum laudantium) eum  
 nunc cum ingenti crudelitate &  
 tyrannide in oculis tuis occidi  
 conspexisti. Ut jam dolor ille,

DOMI-  
NICAR  
PASSIO-  
NIS XX-  
FLICA-  
TIO.

Neque enim vlla umquam mater adeo suam dilexit prolem, ut tu Filium tuum. Unde & quidquid molestiæ sub tuo aspectu illi illatum est, id repente secuit cor tuum.

4.  
Ioan. 19  
Magna  
fortitudo  
virginis,  
filio pa-  
sienti cõ-  
stanter  
& sine  
fastidio  
adstan-  
tis.

Orta ex  
purissimo  
amore, &  
plenissi-  
me fide.

\* Du-  
plex a-  
mor in

Et qui stare, o Domina, poteras? Dicit enim Evangelista: *Stabat juxta Crucem Iesu, Mater eius.* Unde tanta tibi fortitudo, ut hodie toties confixa, toties vulnerata, toties doloris gladio unà cum Filio tuo crucifixa, nihilominus constanti animo & corpore perstares? Forsitan truces illi atque horridi clavi, & te pariter ita detinebant in cruce Filii tui, ut collabi non posses, At verò multò fortiùs amor potentissimus, ipsa quoque morte fortior, te sustinuit ut cadere nequies. Itaque stabas ceu fidei columna immobilis: nec quidquam veritas sævitiam Judæorum, equorum fremitus, & strepitum armorum, ut pote unà cum filio mori paratissima. Neque enim negare poteras, quemadmodum Petrus; non fugere, ut ceteri Apostoli; non dubitare, ut Discipuli; non ali-quod pati offendiculum, ut plurimi: quandoquidem optime noveras, & qua ratione, & quem cõcooperas genuerasque. Ideoque assistebas juxta crucem ejus, cuius Divinitatem in spiritu adorabas. Stabas, inquam, juxta Crucem, ut hominis redemptioni per dolorem acerbissimum cooperareris. Et quia \* Iesum dilectum Filium tuum, verum quoque noveras esse

Filium Dei, amor tuus ad Divinitatem, & erga humanitatem dilectio, velut ingentia duo saxa cor tuum penitus expresserunt, atque lateralibus angustiis coarctarunt, dum illum tam horribilibus & indignis modis tractari, tamque crudeliter occidi cerne- res. Nimirum hi duo fuere sævis- simi mucrones, animam tuam omni afflictione & dolore crude- liùs transverberantes. Enim ve- rò ut sponsa divino amore suc- censa, dolebas acriter ob gravis- simos contemptus & injurias, quas sponso ac Domino Deo tuo irrogari coram intuebaris: & ut fidiissima sincerissimaque parens, dolebas itidem vehementissimè propter horribiles penas ac tur- pissimam mortem, quam eum- dem dulcissimum Filium tuum obire conspiciebas. Quia ve- rò ejusdem Filij passio & affli- ctio immensa erat ( oportebat e- nim eum, secundum justitiæ ri- gorem, cuncta mundi peccata, quæ innumera atq; infinita sunt, vincere, illisque præponderare ) ideò & dolor tuus ( qui illius cru- ciatibus respondebat ) incom- prehensibilis fuit, thesaurusque meritorum tuorum immensus. Hic videre erat duo altaria, Patri cælesti ob excellentiam sacrificii gratissima, alterum in filio tuo, alterum in te. Et quia in sacri- ficio sanguinem exterius cum fi- lio fundere non poteras, decoxi- sti atque absumisti illum intus ferventissimo amoris atque do-  
loris

virginis  
unus ex  
ga Deū  
alter ex  
ga Filii  
comple-  
mebat  
cor Vir-  
ginis  
veluti  
prelo,  
& dolo-  
res ex  
primē-  
bat.

Duo sa-  
crificia  
in cruce  
alterum  
corpore-  
lo, filii  
passio;  
alterum  
spiritua-  
le, Ma-  
tri com-  
passio

**DOMI-  
NICAE  
PASSIO-  
NIS EX-  
ALICA-  
TIO**  
R[om]al. 50.  
loris igne. Obrulisti Deo cor con-  
trivum & spiritum contribulatum:  
obrulisti loco sanguinis profusas  
lacrymas: gemitus tui instar sua-  
visissimi fumi è thure accenso suf-  
citati, ferebantur in cælum. At-  
que hoc pacto sacrificium tuum  
pro cunctis gratiæ filii (quorum  
ipsa mater es) fecisti atque immo-  
lasti.

**5.** O anima mea, & quotquot op-  
tatis esse gratiæ filii, aspici-  
te, quæso, Christum Patrem vestrum an-  
xiis pœnis correptum: videte ut  
sua vos morte ad vitam revocârit,  
ac velut fidelissimus pellicanus  
suo vos sanguine tamquam pul-  
los suos denuò generârit, excitâ-  
rit, alueritque. Contemplamini  
& Matrem vestram Mariam gra-  
vissimè afflictam, novos partus  
dolores vestri causa experiètem,  
ut vos gratiæ filii efficeremini.  
Per Patrem vestrum habetis vitâ,  
per Matrem præstatur vobis gra-  
tia. Itaque compatimini tantis  
parentibus vestris, quos tam gra-  
vibus pro salute vestra doloribus  
laborare cernitis, si tamen gratiæ  
filii estis.

**6.** O quoties mœtissima illa Ma-  
ter oculos suos ad contemplan-  
dum deforme sui pignoris corpus  
attollebat, quos tamen mox la-  
crymis affluentes demittere cogebatur!  
Videbat corpus faucium, sed illud un-  
gere non licebat: venas sanguineas  
manantes, verùm eas obvolvere non  
dabatur: membra crudeliter extensa,  
at illa solvere ac laxare non poterat: sa-

crum ejus caput ad mortem incli-  
nari conspiciebat, membraque  
omnia jam ipsam suspirare mor-  
tem, ceu laxamentum atque le-  
vamen pœnarum suarum, sed re-  
levare sustentareque illa nequi-  
bat. Itaque piissimum cor ejus,  
velut uva prelo crucis acerbè  
expressum est, adèd ut cum Filio  
suo potuerit dicere: *Tristis est ani-  
ma mea usq[ue] ad mortem.*

Interea cernens hæc dulcissi-  
mus Filius ipse, qui hæctenus  
nihil ei dicens sese continuerat,  
ut scilicet fortissima illius fides,  
ingensque fidelitas, invicta pati-  
entia, gloriosa passio, & ante om-  
nia \* intemperans atque arden-  
tissimus amor patesceret, & ne  
gloriam Crucis ejus immineret:  
deinceps ultra se continere non  
potuit, sed piissima atque conso-  
latoria eam voce affatus, ait: \*  
*Mulier, ecce filius tuus!* tamquam  
diceret: *Dulcissima, charissima,*  
*fidelissima parens, novi dolorem*  
*& mœrorem tuum, scio quanta*  
*mei amore patiaris, cerno quan-*  
*tis correptum sit angoribus de-*  
*votissimum cor tuum, dum me*  
*dilectum Filium tuum tantis cõ-*  
*spicis in pœnis, dum me charissi-*  
*mo pignore tuo ( in quo sita est*  
*omnis spes & consolatio tua ) ita*  
*miserabiliter spoliaris. Sed ne-*  
*cesse consumari passionem meam,*  
*prorsus moriendum est mihi: jam*  
*tempus est ut vadam ad eum qui*  
*me misit. Itaque dilectissimum*  
*discipulum meum tibi relinquo,*  
*quem mei loco filium habeas, qui*

Matt[he]i  
26.

**7.**  
Iesu de  
Cruce  
Matrem  
alloquens  
cum ho-  
nore so-  
latur.

\* Ma-  
ria a-  
mor nõ  
imme-  
ritò vo-  
catur  
immo-  
dicus &  
supra  
omnem  
mensu-  
ram ex-  
cedens,  
quod  
hic vox  
illa in-  
temperans  
indicat.  
\* III.  
Christi  
verbum  
Ioan. 19

Inde do-  
lor auge-  
tur Vir-  
ginis,  
quia so-  
laturum  
Filius af-  
ferre non  
potuit.

Quæso  
quia so-  
laturum  
Filius af-  
ferre non  
potuit.

DOMI-  
NICAE  
PASSIO-  
NIS EX-  
PLICATIO.

te consoletur, te custodiat, tui curam gerat, & ut pius filius tibi matri suae subditum ac morigerum se præbeat.

8. O! quantoperè hæc Domini

Pulchrè  
explicatur  
verbum  
consolationis  
Filii ad  
Matrem.

Jesu verba piissimum cor mœstissimæ matris penetrârunt, cum audiret quod penitus destituenda esset, quodque pro Filio Dei, filius hominis; pro Magistro, discipulus; pro Domino, servus sibi assignaretur? Rursum, quàm ingens amor Domini eam totam liquefecit, quando secum ipsa reputabat, quantam pro se ille curam gereret ac sollicitudinem? Sanè Dominus Jesus plus ex dolore matris per compassionem, quàm ex suo ipsius cruciatu affligebatur. Unde & se totum ad illam consolandam intendit, tamquam sola eum matris afflictio cruciaret. Denique, ut potuit, mēbra sua omnia (quæ jam mors vicina penè rigida effecerat) ad illam convertit: primò quidem inclinando caput, ceu ultimum vale dicens, & discedendi perens copiam: deinde & roseos oculos suos adhuc calidis lacrymis affluentes, amicabiliter ad eam convertendo: postremò labia mortis pallore obducta aperiendo, atque dicendo: *Mulier*, nō tantum mea mater, sed generaliter mulier, ob ingentem fecunditatem tuam, quia matrem multarum gentium constituit te. Itaque *mulier*, ecce *filius tuus*. Iste Joannes erit filius tuus, (cujus nomen si veritas, gratiam sonat:) & hoc privilegium

Maria  
mulier  
appellata,  
&  
quare.  
Gen. 17.

tibi modò à me concessum est, vè sis perennis & æternæ gratiæ Mater, ob merita certè maxima afflictionis tuæ: nec umquam gratiæ lacte destituentur ubera tua, quo singulos quosque alas & nutrias, qui devotis ea presserint precibus. Eapropter, fecundissima *mulier*, ecce *filius tuus*. Neque plores jam velut deferra & absq; liberis mater, quin potius exulta: nam per hos, quos modò pateris, dolores, proles edes, innumeras, erisque mater omnium, qui per gratiam meam in me credituri sunt. Quos omnes ceu proprios filios in sinu maternæ gratiæ tuæ confovebis atque tuebere, dans eis ex castissimis uberibus tuis lac gratiæ. Enimverò accurrent ad te omnes sitibundi, & dicent: *monstra te esse matrem*. Itaque *mulier*, ecce non unus tantum *filius*, sed filii tui. Hinc jam capiat te oblivio doloris tui, sit hæc consolatio tua, sit laboris temperamentum & alleviatio.

Deinde ad discipulum Dominus ait: *Ecce Mater tua*. Quod quidem non uni, nec soli Joanni dictum est, sed cunctis jam conversis peccatoribus, quibus cumprimis gratia necessaria est, ne velut infantes lacte gratiæ destituti, moriantur. O Maria, tu verissima gratiæ mater & misericordiæ! Cui enim umquam sinum gratiæ tuæ præclusisti? cui pietatis tuæ subtraxisti ubera? Si leat ille laudes tuas, qui apud te passus repulsam, & gratia defraudatus

Maria  
Mater  
gratia,  
Mater  
fidelium,  
quos sub  
Cruce  
parituri  
in dolere,

9.  
Joan. 11  
Omnes  
nos filii  
sumus  
matris  
Maria  
sub cruce  
ad te

**DOMINICAE PASSIONIS EXPLICATIONE.**  
 datus est. Laudamus virginitatem tuam, humilitatem miramur: sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius invocamus. Quotquot igitur gratiæ sumus indigi, stemus simul juxta crucem cum beatissima Maria, intusque per compassionem crucifigamur. Certè piissimus Dominus minimè patietur nos muneris & consolationis expertes à cruce discedere. Et licet gravissimis sit pœnis obrutus, jamq; ad Patrem pergat, non relinquet nos orphanos. Ipsam Virginem intemeratam paterna pietate nobis matrem dabit, dicens: Ecce mater vestra. Quàm suave, quàm consolatorium est hoc verbum infirmis omnibus, tam fidelem, tam benignam, tam misericordem habere matrem, quæ ex illis quæ passa est didicit compassionem? Ecce, inquit Dominus, mater vestra misericordiæ plena, ut vos suscipiat: plena item gratiæ, ut vos uberibus consolationis suæ pascat, foveat, exsatiatque.

CAPUT XVIII.

*Sol obscuratur, Iesus clamat se derelictum; suamque queritur sitim, ac felleo potatur aceto: commendata item Patri anima sua moritur, atque hinc velum templi scinditur.*

1. Obtebratus est sol in morte Salvatoris.
2. Clamat se Iesus derelictum, quantum ad in-

feriorem portionem: quantumq; illa derelictio dolores ejus auerit.

3. Precipua causa doloris Christi, fuit plenissima comprehensio offensarum, qua in Deum facta sunt.
4. Afflictio Christi incomprehensibilis mortalibus; aggravata ex teneritudine complexionis, & perseverantiâ viridi sensu usque ad extremum vite habitum.
5. Stru Christi in Cruce, signum virium consumptarum, & mortu propinqua.
6. Fuit etiam situs salutis nostra.
7. Sitiuit amplius amorem suum nobis demonstrare.
8. Indicavit etiam situs illa, ad quantam inopiam fuerit Dominus pro nobis redactus. Matris compassio.
9. Quidquid pro amore Christi facimus & patimur, quasi sitim illius restinguit.
10. Felle & aceto potatur Dominus:
11. Sed longe amarior illi fuit porrigentium malitia, quam ipsum fel & acerum.
12. Passione Christi completum fuit, quidquid ad salutem nostram requisitum esse, predictum fuit.
13. Totam humanitatem pervasit dolor.
14. Voce magna clamat. Ingens dolor separationis animæ à corpore.
15. Vox magna morientis, indicat fuisse eum plus quam hominem: excitat torporem nostrum; & proclamat victoriam à Christo jam partam.
16. Inclinat Christus caput, tamquam valedicens suu.
17. Devota representatio acerbissima mortis Christi.
18. Dolor Virginis in morte Vnigeniti.
19. Verè in finem dilexit nos Christus.
20. Elementa commovebantur in morte Creatoris.
21. Compassio erga Christi mortem quotidie excitanda: quem quotidie peccati nostri crucifigimus.

**P**ORRO à sextâ horâ tenebra factæ sunt super universam terrâ, usq; ad horam nonam. Nam sol lumen suum retraxit, ceu lugubrem fumens vestem, compassionemq; & dolorem (ut poterat) exhibens erga suum Conditorem, tantis tunc angustiis & cruciatibus comprehensum. Itaque splendoris sui amœnitatem subducendo, totum hunc orbem mœrore affecit, seque socium junxit intemeratæ

**I.**  
 Mattiæ  
 27.  
 Eclipsis  
 miranda  
 solu in  
 Christi  
 morte

T Vir-